

QW. 259. 14.

ORATIO

De vitâ

Præclarissimi Theologi

Z c
6022

20
17.429

X 2054674

D. BALTHASARIS MEISNERI

p. m.

in illustri Academiâ VVitebergensi Professoris meritissimi.

Habita LIPSIÆ


In frequentissimo cœtu Virorum honoratiss. & doctiss. juvenum,

ab

HEINRICO HÖPFFNERO

SS. Theol. D. & Professore publico.

Die 19. Martii Anno 1627.



LIPSIÆ,

Impensis Zacharia Schüreri & Matthiæ Götzii.

Excudebat GREGORIUS Ritsch.

V. 260.



69a.

ORATIO

De vita

Prælectionum Theologi

D. BALTHEASARIS

MESSNERI

p. m.

in illustri Academia Vitebergensi Pro



in spectatissimo ... honore ...

HEINRICH PFEFFNERO



22. Theol. & Publice

Die 10

LIPSIÆ

Inspecula Zachariae Schenckii & Matthiae Götze

Printed by G. R. G. G. G.





Optima spei Adolescentulo

**BALTHASARI
MEISNERO,**

paterna virtutis & fama heredi

S. P.



UM Ecclesiæ damnum, quod illa Celeberrimi tui Parentis obitu præmaturo passa est, tristes admodum lugemus, tuum quoq; , mi **BALTHASAR**, & cæterorum liberorum fatum, qui sic ad orbitatem inopinam redacti estis, meritò commiseramur. Quanto enim columine, quantoq; præsidio privati sitis, nemo tam obesæ naris est, qui non intelligat. Non tamen ab exequiis universus paterni nominis usus tibi tuisq; evanuit. Vigent ejus benefacta in

conspectu DEI, & in vobis traduce sobole,
præmiabuntur. Quid enim parentum pietas
aliud est, quàm repositorium benedictionis
divinæ, in cuius partem veniat posteritas? Vox
divina est: *Generacioni rectorum benedicetur.* Idq;
& gentilis Poëta multiplici experienciâ cogni-
tum habuit:

Δυσβέων παιδεωιτὰ λώια; δυσβέων δ' ἔ.

Eam porrò famam sibi comparavit Pater tuus,
ut ob singularia dona, quibus per DEI gra-
tiam eminebat, Magnatibus in pretio, cæte-
risq; omnibus sinceræ religionis æstimatori-
bus in oculis animisq; fuerit. Sola multitudo
auditorum, quos ad opus Domini continuè
assuefecit, non unam complet myriadem: &
hi omnes Patrem tuum æternitati consecrare
non desistent. Nimirum ut iterum Psaltes ait,
In memoriâ sempiternâ erit justus. Non ergò est,
quod dubites, hanc ipsam noticiam paterno-
rum meritorum, apud eosdem esse vadem qua-
si & proxenetriam amoris in vos extituri. De-

niq;

niq; loco magni beneficii divinitus accepti habere debes, quod tanto Parente sis natus. Hinc enim tibi domesticum exemplum suppetit virtutum, in quod tanquam in vitæ speculum intuearis. Restat, ut eo dignum te geras, & conspicuis illius vestigiis insistas. Atq; hæc tam de cæteris liberis, quàm de te omnibus spes est; cum Philosophi Stagiritæ puncto: *εἰκὸς βελτίους εἶναι, ὅτι ἐκ βελτιόνων*, verisimile sit, præstantiores ac meliores esse eos, qui ex melioribus nati sunt. Quâ de causâ visum fuit hanc Orationem de carissimi Parentis tui vitâ gestisq; tibi, qui ipso quoq; nomine Parentem refers, inscribere. Ego sanè, pro arctissimâ amicitia, quam cum Beato Parente tuo mihi intercessisse nosti, mirificè gaudebo, si te paternæ virtutis æmulum præbueris, & ad culmen illud adnitaris gloriæ, quo patris fama sempiterna & divina benedictio te vocat. Interea honestissimam Matrem tibi tuisq; diu superstitem precor, quæ ut est pietati deditissima, enixissimè curabit vos ad

DEI gloriam inq; spem Publici Boni informa-
 ri, non minùs atq; in hoc gloriosæ sollicitudi-
 nis genere familiam duxerunt Eunice & Nazi-
 anzeni mater, è quibus illa Timotheum; hæc
 Gorgoniam, Cæsareum, & Gregorium Nazi-
 anzenum ita educarunt, ut ex eorum bonâ fru-
 ge & honoratis officiis ingentem voluptatem
 perciperent. Benè vale cum tuis, ac profice sa-
 pientiâ, & ætate, & gratiâ coram DEO & homi-
 nibus. Scripsi Lipsiæ 27. Martii Anno 1627.

Tui amantissimus

Heinricus Höpffnerus

D.



Lectori

Lectori Benevolo

Salutem.



Annus jam agitur vigesimus tertius, cum Magni illius Theologi, D. Ægidii Hunnii mortem excepit obitus trium præclarissimorum Theologiae Professorum, intrapaucas septimanas defunctorum, Dd. Cornelii Becceri, Davidis Rungii, & Zachariæ Schilteri; quorum famam grata posteritas dignis sermonibus celebrat. Ab eo tempore magis exasperata fuit hæc clades, cum eandem viam universæ carnis calcârunt longè plures: Dd. Salomon Gesnerus, Georgius Mylius, Polycarpus Lyserus Senior, Johannes Försterus, Leonhartus Hütterus, qui præter alias functiones & res gestas, etiam Lutberi Cathedram in Academia VVitebergensi, æterna sua cum laude, animârunt. Non minùs alibi res literaria in squalore in mœroremq; ingentem conjecta est, evocatis ex hac vitâ L. Johanne Mülmanno, D. Burcharto Harbaro, D. Georgio Weinrichio nostræ Universitatis: Stephano Gerlachio, Georgio Sigvvarro, Andrea Osiandro, Matthia Hassenrefferro Tubingen-

sis:

sis: Johan. Debelio, Ambrosio Reudenio, Perro Piscatore, Alberto Gravvero, Jenensis: nec non Philip. Marbachio, Johan. Pappo, Johan. Bechtoldo, & Johan. Tauffrero, Argentinensis: insuper & Davide Lobechio, Luca Bacmeistero, Johanne Affelmanno, & qui vix illuc venerat Andrea Groshenningo, Rostochiens. Academiae luminibus: quorum omnium aliorumq; alibi plurimorum Dd. memoria cedro dignissima est. Nec parùm luctus per sensu Giessensis Academia, ubi delicio illo Historia & Philologia non minùs, ac Theologia ornamento singulari D. Christophoro Helvico orbat a fuit. Sed nuper iterum, uno anni triente nostra Religio tribus præclarissimis Theologis viduat a est, Dd. Johanne Winckelmanno, Balthasare Mentzero & Balthasare Meisnero, & quidem hos duos Balthasares unum octiduum, quod anni superioris terminus & currentis initium erat, è medio abstulit. O durum fatum Ecclesiae! ô jacturam incomparabilem! Nostrum est, benevole Lector, calamitatem tantam lugere debitoq; modo aestimare. Sicut enim viri prudentes Reipublicae sunt necessarii, quasi aurigae communitatis & vitae humanae oculi: ita Ecclesiae maximè interest, ut sit instructa viris in verbo DEI potentibus, ut voce scriptisq; veritatem caelestem adversus corruptelas varias sartam tectamq; asserant. Nostrum etiam est, justa DEI judicia agnoscere, quae peccatis nostris incurrimus.

Nam

Nam *Esaias*, cap. 3. in catalogo illorum, quorum operam salutarem impiis adimere DEUS minatur, etiam recenset prophetam & prudentem eloquii mystici virum, id est, qui mysteria divina que at scitè explicare & nervosè defendere. Hinc *Gregorius* lib. 3. Dial. cap. 37. quærenti Petro, Cur boni, qui aliis possent esse ædificationi, è vitâ hâc citius subtrahantur? respondet: Malitia remanentium meretur, ut hi, qui prodesse poterant, festinè protrahantur. Hinc antequam iram suam in malos stringat DEUS, in antecessum suos evocat, ne futuris miseriis illaqueentur. Sic abstulit *Augustinum*, *Vandalis* *Hipponem* obsessuris: sic abstulit *Lutberum* ante bellum *Germanicum*. Ideò hoc quasi *Epitaphium* illis collocat *Spiritus sanctus*, *Esa. 57*. A facie malitiæ sublatus est justus, & erit in pace memoria ejus. Quapropter meritò ad tantam *Ecclesia* cladem consternimur, & vicem deploramus *Academiarum*, nuperumq; vulnus earum, ob sororium cum illis nexum & *Doctrinæ* cœlestis, ut *Tertullianus* loqui amat, consanguinitatem, nobis proprium facimus. Equidem ut affectum exonerem, facere non possum, quin dolorem verbis egeram, & querelis expleam, motis de inopinâ nimisq; ut nobis videri assolet, *D. Meisneri* ad summa nati, præproperâ morte & simul dona, quibus illum DEUS coronaverat, deprædicem. Non enim tantum me movent cause jam memoratæ, mihi cum aliis communes, sed & domi non deest

B

ratio,

ratio, quæ ad summam mihi cum ipso habitam necessitudinem accedit, dum fides mea me impellit, ut hoc officii, ex sponso conventoq; beatis ejus manibus debiti, lubens, quamvis la-gens, exequar. Qui ergo B. Meisnerum dilexistis vivum, date hoc mortui honoribus, ut vitæ, quam egit, historiam cognoscatis: qui scriptis ejus delectamini, & vivum in iis Meisnerum cernitis, demonstrate hanc defuncto pietatem, ut justa mecum persolvatis, & vivacem memoriam conser-vetis: imò & exemplar vivum vobis illum statuatis. Quod si ad tantum donorum fastigium pervenire non licet, tamen & hæc laus exigua non erit, si vobis cum ipso, idem studium sit DEI gloriam promovendi. Magnificum autem Acade-miæ Rectorem, nec non alios proceres, Viros Reverendos, Amplissimos, prudentiâ, rerum usu & experienciâ, itemq; spectabili autoritate & humanitate conspicuos officiosissime invitatos cupio, ut supremo honore beatos D. Meisneri ma-nes tractare velint, & Orationem cras, sub Deo, hora IV. pomeridiana, in Acroaterio inferiore majoris Principum Collegii, à me de laudibus illius habendam, audientiâ bene-volâ dignentur. Scriptum 18. Martii, Anno 1627.

ab

Heinrico Höpffnero Th. D.
& Prof. publ.

Θεός



Θεός Θεός.



Sque quò Domine obli-
visceris nostri penitùs? Usque quò
faciem tuam à nobis abscondes?
Itàne vineam tuam ad angustias
redigi, & nunc etiam tot specula-
toribus oculatissimis, qui excubi-
as pro culturâ ejus egerunt priva-
ri? Usque quò Domine, usq; quò? Video vos mecum,
Auditores, ita suspirare: sentio, hujusmodi vos gemitus integrare: intelligo, vos easdem sub pectore cogitationes tacitas versare; dum tristem hanc temporum faciem intuemini, & magis magisq; accidi cernitis Ecclesiæ, quæ prius Academiarum sic satis instructa subsidiis pollebat, opum vim. Neq; enim vos latet, non ita dudum unius trimestris spatio è vivis excessisse Viros, omni meritorum laude cumulatissimos, *Dd. Johannem Winckelmannum, Baltbasarem Menzerum, & Baltbasarem Meisnerum*, quorum nomina qui ignorat inter nos, ne à limine quidem studia pietatis salutasse videbitur. Longè verò abestis ab iis, qui brutâ quâdam incuriâ non conteruntur *ob contritionem Joseph*, sed promiscuè habent, quicquid hujus eveniat. Aliud vos fertis judicium de hoc fato Ecclesiæ: aliter aspici-
tis tot continua funera Doctorum sincerorum: ut ve-
rè vobis accommodare possim, quod *Ælianus de Ni-*



costrato pictore eximio scriptum reliquit. Cum enim ille aliquando invenisset tabulam nobilissimi pictoris Zeuxidis, in qua Helenæ forma conspicua erat, animo non minùs, quàm oculis in ejus contemplatione avidè intentus diutiusculè perstitit. Intervenit tandem quispiam rogans: *Ecquid ibi tantopere admiraretur?* Sed ad hunc Nicostratus: *non me, inquit, rogares, si meos oculos haberes.* Ita multi rectiùs sentirent, quæ ex hoc DEI judicio ponè secutura sint mala, si eandem vobiscum mentis aciem, communemq; haberent perspicacitatem. Sanè ipsam Theologorum horum conditionem si consideremus, non deteriore, sed longè meliorem factam esse, ex sacris habemus. Nam *Winckelmannus* in decrepitâ ætate & satur vitæ venerandam caniciem sepulchro intulit, & *masculæ* constantiæ in magnis periculis & angustiis demonstratæ, laudem, nullus *angulus* in obscuro tenebit. *Menzerus* item, post tot rerum præclarè gestarum monumenta, eò pertigit, quò unicè aspirabat vivus, & quæ in ore calamoq; semper habebat, *τὸν ὄνειρον καὶ δία*, jam ex animi sententiâ consecutus est. *Meisnerus* quoq; inter beatos coruscat, & eventum sui *symboli* experitur: *Beati mites.* Nostra verò res agitur, Ecclesiæ commodum in hoc cardine versatur. *Carolus V.* gloriosissimus Imperator, dum urbes lustraret, solebat in primis ad *tria* respicere: ad *horologium*, nùm illud benè digereretur: ad *templa*, nùm illa haberentur sancta & illæsa: ad *plateas*, an mundæ essent ac compositæ. Idem Augustissimus Monarcha *tria* P quærere solebat: *Ecquis in urbe esset*

Præ-

Prætor, Pastor & Præceptor: atq; ex his statum illius Reip. judicabat. Quid ergo non scævi portendetur Bono publico, quomodo non malè habere poterit Ecclesia hoc in casû, quo tandem defectus eorum, qui controversiarum Theologicarum notitiâ, & rerum spiritualium usû præstant, erit metuendus? nisi Dominus nobis reliquias faciat, & subinde alios exuscitet, quos in vineam suam extrudat. Nobis certè nullum aliud remedium restat, quàm ut stemus in ruptura coràm Domino, & piis precibus eum à perditione nostri detineamus: Convertere Deus Zebaoth, respice de cælo, & visita vitem istam, & confirma eam, quam plantavit dextera tua, & super filium, quem confirmasti tibi. Ecce inimici tui tumultuati sunt, & qui oderunt te, extulerunt caput. Contra populum tuum callidè composuerunt consilium, consularunt adversus absconditos tuos. Exsurge Deus, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te, à facie tuâ. Deus meus, pone illos sicut rotam & sicut stipulam ante faciem venti. Imple facies illorum ignominia, & querent nomen tuum Domine. Pax autem super Israël. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Et sis jucundus super nos, Domine Deus noster, & opera manuum nostrarum confirma. Salvum fac Deus Unctum tuum, exaudi eum de cælo sancto tuo in potentatibus salutis, seu viribus salutaribus dextera tua. Exaudi Domine, placare Domine, attende & fac propter te ipsum Deus meus, quia nomen tuum invocatum est super populum tuum, Amen.

Ut verò gravitas hujus calamitatis & piæ depre-

cationis necessitas tantò magis appareat, brevi Oratione demonstrabo, quantum damnum vel ex unici *D. Meisneri* obitu acceperit Ecclesia & res literaria, præclaris hujus Viri donis nunc miserè destituta. Quamvis enim & cæterorum à me modò nominatorum *duorum Theologorum* meritis similem deberem pietatem, & inprimis *Menzero*, qui me per annos ferè octodecim singulari amore intimiùs complexus est, vicem extremi honoris par esset à me reponi; tamen cum historia vitæ illorum, quoad omnes articulos & flexus non ita sit comperta; malo gloriosas manes silentio potiùs venerari, quàm inani verborum sono, de iis factò, auditorium hoc fatigare. Dedicata modò illis sit, quâ *Davidi* populus Elogium tribuebat, unica illa vox: *Lux Israël est extincta est!*

Jam ergò de *vitâ Meisneri* sum dicturus, & quomodo talentum divinitus concessum collocârit, omnemq; vitam eleganter, & cum laude transegerit. Quod dum facio, à Vobis, Magnifice Academ. Rector, Viri Reverendi, Amplitudine, rerum usu & experientiâ, spectabili autoritate, doctrinæ præstantiâ & humanitate conspicui, nec non à toto hoc ornatissimo auditorio reverenter & officiosè contendo, ut vacillas mihi aures æquis placidisq; animis concedere velint.

Quæ homini à primis statim incunabulis incentiva esse possunt ad consecrandam virtutem & laudem, ea omnia *B. Meisnero* nostro affatim contigerunt. Non defuit ornamentum *Patriæ*; quod ubi alumnos

D. Meisneri
patria.

ad im-

ad imperum excitat æmulandi honoratos cives, plurimum in educatione momenti obtinet. Vitales enim auras Anno 1587. 3. Febr. primùm hausit *Dresda*, quæ jam olim *Heinrici Aucupis* ætate & auspiciis cultrix Religionis Christianæ fuit, & depositoria celebris, hodieq; est sedes ducalis prælustrißima, quæ splendorem adhuc majorem à Serenitate Electoris Saxonie & Heroine conjugis accipit, ut non tam loci eminentia Principem, quàm Principis excelßitas, loci dignitatem ostendat. Educatur ibidem in spem patriæ inclytissima progenies Electoris: adest flos Nobilitatis: viget *Senatus Ecclesiasticus & Politicus*, & hic iterùm suis certis ordinibus distinctus est, ut alius sit *sanctioris* atq; intimioris *consilii*: alius *Camera* & fisco Electorali præfectus: alius *justitiæ* tribunal constituat: alius deniq; utriusq; Curie Provincialis & inferiorum Judiciorum *appellationes* determinet. Communitas urbana benè constituto ministerio gaudet, nec non alius Viris Prudentibus & Politicis est conspicua. Nec minima laus hujus Urbis est, quod bonorum ingeniorum sit feracissima; è quibus, ut aliorum mentionem præteream, lubet in medium statuere, quasi ex ipso antiquitatis fano evocatum *M. Petrum Dresdensem*, qui, ut autor est *Æneas Sylvius*, Johanni Husso & Jacobello de Misnâ, Pragæ ad Michaëlis ædem Archidiacono, socium se adjunxit in certamine de integro usù cœnæ Dominicæ, tam Laicis, quàm Clericis communicandæ, ut illum omnibus modis assereret. Hæc verò de causâ è *Bohemia regno* proscriptus *Misnam* venit,

nit, ubi Ludimagistrum egit, inde *Cygneam*, & tandem *Chemnicium* vocatus, similiter munere Rectoris scholastici functus est. Ad eundem refertur compositio cantilenarum illarum: *In dulci jubilo: nec non: Puer natus in Betlehem: & similia.*

Parentes.

Natalem locum Meisneri excipit altera felicitas, nempe *Parentum* prospera conditio. Pater enim erat Vir antiquæ fidei & virtutis *M. Balthasar Meisnerus*, qui annis ab hinc tribus in Domino obdormivit, & ministerii Ecclesiastici ad ædem S. Crucis fideliter gesti, memoriam apud omnes gratam adhuc retinet. Mater verò *Anna*, à viro spectatissimo *Dn. Francisco Crancio*, Electoris *Augusti* Officiali honorato, genita fuit: quæ post tot gaudia, ex filii felicitate & honoribus percepta, tandem insvavem illam epiphtham experta est, ut filio suo, quem unicè superstitem vovebat, mutato quasi naturæ ordine, clausit oculos, & tristes exequias iverit. Accessit autem familiæ huic novum decus per auspicata sororum duarum, quas *Meisnerus* habebat, conjugia. Nam major natû *Dorothea*, juncta Theologo celeberrimo, *Dn. Friderico Balduino*, Witebergæ Prof. publ. & Superintendenti, per annos viginti Uxor fuit carissima; Matróna virtutibus sexum hunc addecentibus commendatissima, jam *παράγίτις*. Altera verò *Anna*, quæ adhuc superest, Viro Clariss. & Consultiss. *Dn. D. Jacobo Fabro*, Dresdæ Practico eximio nupsit.

Sed ab his, quæ solent esse communia, progrediamur ad ea, quæ piè defuncto magis sunt singularia,

& ut

& ut *Tertulliani* verbo utamur, incommunia. Quocirca nec remoram Orationi nostræ ponet commemoratio dotium corporis, cum illius *πλεονεκτήματα* ac prerogativæ citò deflorescant, & vix commendent hominem, nisi *misturam*, ut *Arbiter* ait, *faciant cum sapientiâ* & bonis animi. Ad ea itaq; propero, quæ in primæ statim ætatis informatione, & culturâ mentis eminuerunt, quasi *ἐκτυπώματα*, & umbræ rerum aliquando, cum vir inter viros esset, gerendarum. Nam quod de *Timotheo* Apostolus scribit, ipsum à puero in sacris literis fuisse institutum, id ipsum quoq; in *Meisnero* Parentum domestica disciplina feliciter probavit. Videbant illi puerum suum magnâ alacritate ferri ad sacra, insequi paternos gressus ad templum, & attentè, quæ ibi fierent, considerare: Domum verò reversum conciones pias repetere, & ceremonias nostræ religionis repræsentare, atq; inter pares Doctoris personam gerere velle; De catecheticis questionibus & dictis biblicis quærentes libenter audire, & ea, quæ minus intelligeret, explicandi ansam præbere: In moribus itidem nativa quædam amabilitas; In vultu honestas apparet, &

Educatio.

Frons aspirantis præportat pectoris ignes,
quale de se augurium præbuit Origenes, de quo Eusebius lib. 6. c. 2. & 3. refert; quod adhuc parvulus non tam Parentum exhortatione, quam propriâ voluntate solitus sit quotidie sacra legere, quotidie aliquid memoriter recitare, frequenter à Patre petere sibi enodari, quæ perplexa, intricatave occurrebant.

C

Idem

Idem historiae Ecclesiasticae Parens lib. 10. cap. 14. scribit; ecquam spem in primâ ætate, tanquam in primâ herbâ, de se præbuerit Athanasius, quod puer cum pueris lusitans, Episcopi munus obierit, fidei confessionem à reliquis exigendo, & qui reddere poterant, quasi aquæ baptismum impertiendo, cæterasq; ceremonias peragendo. Non enim delitescit bona frugiq; mens, sed à primis statim incunabulis documenta suæ ingenuitatis præbet. Cum verò Scholæ sint seminarium artium & pietatis, ideò Parentes filium hunc suum diligentius commendarunt Præceptoribus publicis & privatis: sub quorum manû tam docilem, tamq; capacem se præstitit, ut paucis annis non vota tantum, sed & spem illorum superaret. Antè omnia *pedem Philosophiæ*, h. e. Grammaticam; mox etiam *manum ejusdem*, i. e. Logicam; & tandem etiam *linguam Philosophiæ*, h. e. Rhetoricam sibi diligentia & assuetudine continuâ promptam facilemq; reddit, cæterasq; officii sui partes ex voto Parentum exequitur, & jam

— *Omnis in hoc Nato Chari stat cura Parentis.*

Cumq; idoneus tunc judicaretur, qui mitteretur ad Academias, &

Edita doctrinâ sapientum templa serena,

Anno 15. ætatis *Witebergam* concessit. Utq; tantò melius posset coeptum in studiis curriculum perficere, Electorali munificentia, ex *Procuratura* Episcopatus Misnensis, diu fruitur, & tandem etiam supremum sti-

pendi-

pendium *nonaginta florenorum*, ex singulari mandato *Serenissimi Electoris* Saxoniae, adeptus est.

Plurimum verò sollicitus fuit Parens, ut in ipso statim ingressu hujus Academiae praecipuis Professoribus innotesceret, & à Magno illo Theologo Dn. *D. Aegidio Hunnio* impetravit, ut & incolatu ædium, & convictu ipsius uteretur. Quâ occasione primam familiaritatē contraxit cum filiis prænominati Theologi praestantissimis, & inter hos maximè cum *Nicolao Hunnio*, postea Doctore & Professore Theologiae in Academia Witebergensi, nunc autem Ecclesiarum in Imperiali urbe *Lubecâ* Superintendente Honoratissimo: studia verò ejus privatim direxit *Johannes Permelius*, Vir exquisitæ eruditionis, postea Arnstadii Ecclesiastes, & tandem in urbe Thuringiae *Sondershusio* Superintendens factus. Postea verò Dn. *D. Fridericus Balduinus* Witebergam ab Universitate illâ ad Professionem Theologicam revocatus, rogatu Domini soceri *Meisnerum*, tanquam affinem suum in contubernium adscivit. Noverat enim optimus Pater, quantum momenti positum sit in cautione hac, ne cerea isthæc, & ad malum flexilis ætas suo permittatur arbitrio. Nam fatendum hîc omninò quod res est, multis, cum ex triviali pulvere ad spacia Academica progressi sunt, liberiozem illam auram nequitiae illicem esse; videas alios pravo consortio efferos reddi, & Cyclopicis ausis se dedere; alios lurcari, & dies noctesq; Genio indulgere: alios otio se mancipare, & dum tempus aureum currit, ipsos domi desiderare,



neq; in noticiam virorum Doctorum venire. Quorum omnium medela in promptu foret, si non ita promiscuè, tantoq; cum neglectû Parentes & cognati suos ad studia publica mitterent, sed viris gravibus & doctis eos commendarent, à quorum nutû penderent. Quapropter indigna literato homine est calumnia, *ex angulo*, ut opinor, *fanatici spiritus* mutuata, quâ non dubitavit ante biennium Anonymus quidam Academias proscindere, dum nescio impudentiâ magis, an animi impotentia contendit, *mysterium iniquitatis* ibi peragi. Longè aliud judicârunt summi Imperatores, Principes, cæteriq; Magnates, qui Universitates studiorum semper magni fecerunt, & ceu eruditionis ac virtutis palæstras publicas habuerunt: Eaq; de causâ liberalibus sumptibus eas instituerunt, & privilegiis amplissimis dignati sunt. Non defunt utiq; in his communitatibus propudia & dehonestamenta studiosi nominis, sicut in aliis rebus publicis sempervomicæ quædam sunt & inutilia terræ pondera: Sed penes quem hæc culpa residet, *mi homo*; nonne Parentibus imputandum est, qui aut hûc missis non prospiciunt de Præceptoribus, & morum gubernatoribus, aut suos jam antè indulgentiâ nimia corruerunt? Nimirum

*Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.*

Alius hic noster *Meisnerus*, qui stadium Academicum ita decurrit, ut sui simillimis, h. e. piis & ad virtutem laudesq; adspirantibus, conjunctissimus esset, & verif-

simum

simum esse deprehendit, quod *Salomon* ait Proverb. 13. *Qui ambulat cum Sapientibus, fit sapiens.* Ideò docentibus assiduè deditus fuit, & quæ memoriâ comprehendit, domi ruminando in succum & sanguinem vertit. Rectissimè namq; censuit, vivam vocem plus efficere, quàm mutos magistros, hoc est, libros privatâ operâ perlectos. Neq; unquam præclari aliquid, & in rem communem utile didicerunt, quibus suo opte remigio confisis, *αὐτοδιδάκτοις* esse libuit. *Paulum* Apostolum videamus, qualis ille fuerit Studiosus in *Academia Hierosolymitanâ*: Ipse namq; de se testatur, quod sederit *ad pedes Gamalielis*, quòd inculpatam & irreprehensibilem vitam egerit. Audiamus *Augustinum*, qui de se itidem aliquoties in lib. 5. de Confess. memorat; quod mirificè sacrorum librorum lectione inflammatus, frequenter cum illis egerit, qui de rebus divinis sermones miscere gauderent, quales præcipuè fuerint *Nebrius & Alipius*: Libentissimè deniq; audientiam præbuerit eruditis Theologis, nempè *Helpidio* Carthagine, *Ambrosio* Mediolani, eosq; privatim sæpius accesserit. At nunc temporis fermentati juvenes plus scilicet sapiunt, quàm tantus Apostolus, quàm tantus Antistes, dum publicas Professorum operas, tam supinè despiciantur. Annum ætatis decimum septimum jam attigerat, & in *Academia* secundum transegerat *Meisnerus*, quando *summam* in *Philosophiâ lauream*, non sine magno omnium applausû impetravit, diribitore Viro Excellentissimo Dn. *Jacobo Martini*, tum temporis *Philosophiæ*, nunc

HONORES.



Studia.

Peregrina-
tiones.

Theologia Professore : cujus actus recordatio in memoriam mihi revocat dispositionem Dei singularem, quâ factum est, ut postea huic Promotori suo parile officium remensus, in S S. *Theologiae* studio summos honores conferret. Adeptus Magisterii titulum *Meisnerus*, id sibi negotii datum existimavit, ut & suo loco studiosis *Philosophiae* inserviret. Quanquam enim se totum *Theologiae* jam devovebat, non tamen administram harum disciplinarum operam sibi neglectui habendam duxit. Ut enim *Agar* ancilla *Abrahamo* jungitur matrimonio, ita tamen, ut *Sarae* jus domini maneat salvum atq; integrum : Ita Vir pius studia *Philosophiae* amare potest, dummodo *Theologiae* constet sua dignitas, & huic Dominae disciplinarum, fidelis opera artium & *Philosophiae* reverenter assurgat ac ministret, sicut eleganter Doctissimus Judæorum *Philo* in lib. de Cherub. nec non in opere de congressu quaerendae eruditionis gratiâ, docet. Hinc piè defunctus multas disputationes & lectiones quoq; privatas habuit, quibus juventutis studiis commodavit. Eamq; diligentiam & benè de publico merendi fervorem, ut compensaret inclyta facultas Philosophica, honestissimum ipsi locum in Collegio suo assignavit. In *Theologia* verò profectus suos iudiciis luculentis prodidit, & tam in disputationibus, quam concionibus sacris favorem auditorii sibi prolixum conciliavit. Posthæc animum ad peregrinationes adjecit, & Anno 1609. iter ingressus initio *Argentinae*, celeberrimam in *Alsatis* civitatem, se contulit. Sunt in hac

urbe

urbe multa *ἀξιολόγητα*, sed præ cæteris *Meisnerum* alliciebat *D. Johannis Pappi* summi Theologi celebritas. Eò cum venit, à se conscriptam disputationem de *Communicatione donorum infinitorum carnis Christi*, habuit, *D. Pappo*, non tàm *Presidente*, quàm tantùm *Præsente*: quæ ipsius *Pappi* vox ad Collegas de hoc specimine fuisse, non præter verum refertur. Nam & idem *Pappus* paulò pòst ad *D. Balduinum*, qui hunc ei affinem suum commendaverat, inter alia sic scribit: *Statim ut Argentoratum appulit M. Meisnerus disputationem habuit, &c. Quid dicam? Auditus est biduo à nostris, non maximâ solum cum admiratione, sed planè cum stupore, tum studiose juventutis, tum ipsorum quoq; Professorum.* Gratulamur igitur Vobis omnibus hanc felicitatem, & ut eam quam diutissimè perfruamini, Deum precamur. Habent & hoc eadem literæ, quarum apographum nuper decus illud Theologiæ *D. Balduinus* mihi communicavit: *Quem tu nobis autem Virum, quâ doctrinâ, quâ ingenii præstantiâ, quâq; differendi subtilitate, qua etiam morum suavitate & honestate commendasti, prorsus ut valdè nos tibi obligatos fateamur, qui in noticiam M. Meisneri tuâ nos commendatione induxeris.* Cæterùm cum *Argentorati* subsisteret, non neglexit occasionem excurrendi *Basileam*, urbem *Rauracorum* antiquissimam, quam *Æneas Sylvius*, ubi Pontifex Romanus factus, & *Pius II. dictus est*, studiis dedicavit, ac privilegiis & immunitatibus splendidis donavit, cum annis triginta antè ad concilium ibidem habitum venisset, & commodum ibi Musarum domicilium fore vidisset. Hic

ergò

Testimonia
publica.

ergò *Meisnerus* in doctissimorum Virorum amicitiam se insinuavit, & postea utramq; *Alsatiam*, ab *Alsâ* vel *Illo* flumine denominatam, neq; non *Brisgoiam* iustravit. Inde *Tubingam* perrexit urbem *Svevia* pervetustam, & jam olim *Antonini Caracallæ Imperatoris*, qui palatium ibi habuit, tempore cognitam. Tum temporis, quo adveniebat *Meisnerus*, adhuc in vivis erant, qui magnâ cum Reipub. literariæ jacturâ decesserunt, meritisimi Theologi *Andreas Osiander*, *Matthias Haffrenfferus*, & *Georgius Sigvartus*. Horum, ut & ceterorum Clarissimorum Virorum, ibi omni laude affluentium, affectum statim suo ingenio & moribus provocavit. Fidem sequor *Testimonii publici*, quò ipsum aliò profecturum, *Collegium* ibidem *Theologicum* ornavit. In eo *Meisnerum* vocant *Theologia Candidatum dignissimum*, & prolixam telam de ipsius profectibus & speciminibus egregiis texunt: *Cùm antè annum*, inquit, *Argentina*, studiorum gratiâ, ad nos accederet, & *disputationem de rebus longè difficilimis à se nervosissime conscriptam*, publicè defenderet, tam exquisita in eo deprehensa est rerum *Theologicarum* cognitio, tamq; *Adversariorum ora obturandi insignis dexteritas*, ut universo cœtui *scholastico*, cum primis verò omnibus *Professoribus*, summa fuerit admirationi. Ob eam causam publicum ei concessimus de rebus *Theologicis* disputandi collegium, cui per hunc annum integrum singulis hebdomadis tantâ presuit industria, quanta maxima à quoquam *Preside* requiri potest unquam. *Plurimis insuper exquisitè elaboratis concionibus ad populum habendis interea* (quantum temporis & loci

ratio

ratio ferebat) sese exercuit sedulo. Hisce omnibus accessit ea vita integritas, morumque gravitas & elegantia, decens item Modestia & Gravitas, pacis & concordie studium, falsorum & perniciosorum dogmatum odium, erga Viros de Ecclesia & Repub. Christiana bene meritos bonos & reverentia, ut sese omnibus bonis non modo probaret & commendaret, verum etiam amorem & favorem spectatissime quorumlibet auctoritatis Virorum facillime sibi conciliaret, iisque charissimus fuerit. Quae omnia (quod DOMINUS καρδιογνώσῃς novit) non adulando, sed veritati testimonium perhibendo scribimus, cum uni ex nostrae Facultate cohabitaret, & mensam cum eo habuerit, ceterisque familiarissimus fuerit. Aded ut non dubitemus, hunc praclarum Virum, ad quoscunque pervenerit, hoc nostrum testimonium, non tantum equaturum, verum etiam superaturum, Ecclesiaeque Dei tam in scholis, quam in templis docendo, non tam usui & emolumento maximo, quam ornamento singulari futurum esse. Postquam Tubingam discessit, in Hassiam contendit, & Giessam advenit, in qua paucis ante annis Illustrissimus Hassiae Princeps & Landgravius, Ludovicus, Religionis sinceræ defensor acerrimus, & Musarum hospitor benignissimus, Academiam erexerat, Augustissimi Imperatoris Rudolphi II. privilegiis confirmatam. Foenerabant tunc huic loco splendorem duo lumina Theologiae, Winckelmannus & Balthasar Mentzerus, Theologi veterani & Professores primarii. Florebant & Christophorus Helvicus, & Casparus Finckius, itidem Theologiae Doctores, & Professores eximii; nec non Philosophiam publicè docebat

Conradus Theodoricus jam Ulmenſis Eccleſiæ Superintendens Honoratiſſimus. Quibus omnibus, ut & multis aliis Clariffimis Viris ibidem verfantibus, *Meifnerus* adeò carus evaſit, ut in *Mifniam* noſtram revocatus, non ſine magno ſui deſiderio dimitteretur. Inprimis *Baltbaſar Menzerus* (at quantus ille Vir!) hunc ſuum quaſi cognominem, *Baltbaſarem Meifnerum*, non tantùm cupidè in ædes, & ad conviçtum quoque ſuum recipiebat, & inter primæ admiſſionis amicos, ac quaſi alterum ſe habebat. Ita enim in literis ejus ad *D. Balduinum* ſcribitur: *Anno M. Meifneri, ut debeo, pietatem, modeſtiam, & doctrine ſoliditatem, eoq; etiam magis, quia facili literarum mutatione, ego Meifnerus fieri, & ipſe Menzerus poteſt, & unum utriq; nomen commune eſt.* Quod ſi commodè fieri potuiſſet, illum loco honeſtiſſimo detinere unicè optaſſet tota facultas *Theologica*. Talia namq; verba uſurpat in tabulis publicis, quas in *Famæ* hoc templo ſuspendere, quid vetat? Sic enim inter alia ſonant: *Ipſe in apertam lucem progreſſus, diſputationibus Philoſophicis præfuit, & Theologicas conſcripſit, & habuit publicas in Academiis celeberrimis, Witebergenſi, Argentoratenſi, Tubingenſi, & in hac noſtrâ Giieſſenâ, qua omnes typis excuſa piè doctis vehementer probantur. Et ita quidem habuit, ut in iis ſingularem rerum divinarum ſcientiam, ingenii dexteritatem, judiciæ rectitudinem, & religionis ſinceritatem approbaverit. Sacra etiam verba ad Chriſtianum populum fecit magno cum auditorum fructû, & commendatione: neq; minus fidelitèr atq; utilitèr S. S. Theologiae Studioſis, aperto diſputationum*

sacra-

sacrarum collegio inservire studuit; quo labore sic defunctus est, Deo benedicente, ut ab omnibus auditoribus gratia ipsi maxima agantur. Dehinc commendant Consultationem Anti-Lesbianam, quænam fides sit capeffenda, & primam partem Sobrie Philosophiæ in eadem Academia scriptam; & tandem subjiciunt: Cumq; hanc summam diligentiam, & assiduitatem exornaverit morum integritate, elegantia & modestia (quæ virtutum omnium fulcrum & fundamentum est) adeo nobis charus evasit, ut si commodè fieri posset, nobiscum ipsum detinere loco honestissimo unice optaremus. Academiis enim natum esse hunc virum agnoscimus ex præclaris ipsius donis, quæ ut Deus in ipso augere & conservare velit, ex animo precamur. Talis igitur cum sit amicus hic noster dilectus, (hoc enim nomine jure ipsum appellamus, omniaq; nostra officia ipsi deferimus) speramus fore, Deo clementer annuente, & quâ par observantia rogamus, ut qui ad Reipub. clavum sedent, virum hunc eximium, de meliore, quod ajunt, nota commendatum sibi esse patiantur, eumq; favore suo & benevolentia prosequantur. Sed jam tempus est, ut reducem consideremus Meisnerum. Revocatus erat jussu Serenissimi Electoris, ab Academia Vvitebergensi, ut M. Henrici Velstenii, Ethices Professoris publici, nuper denati, locum functionemque subiret. Ideo anno Christi supra millesimum sexcentesimo undecimo, die 29. Junii, munus injunctum capeffit, & non minore dexteritate quam fide, cum insigni studiorum communium successu administrat. Testari de solertia ejus potest luculenta dissertatio de summo Bono, anno 1614. typis im-

Functiones
 publicæ, ho-
 norum no-
 vorum co-
 mites.

Professio E-
 thices.

pressa, nec non eruditus *commentarius de Legibus*, qui biennio post prodiit. Sed & jam ante hujus ἀγχινοίας suæ, cum *Tubinga & Giessa* adhuc ageret, specimen laudabile præbuerat, edita dissertatione de vitiosa disputandi ratione scholastica: itemque enodatione *problematis de propositionibus inusitatis*, nec non *Sobria Philosophia parte prima*. Nimirum ante omnia ab usum Philosophiæ tollere studuit, tum *apateticum*, tum *sophisticum*. Non enim ferendum judicavit, ut honestissima matrona ignominiam patiatur ab hominibus vanis, ut vel falsitatibus contemeretur, vel turpi metamorphosi in alieno choro locetur. Unde postea tot *παρεγυῖα* & familiæ ac tribus variorum, quorum δεξιῶν & origo iste abusus est, errorum. Propter quos *Tertullianus* Philosophos, hoc est, philosophiâ per vanam deceptionem abutentes, patriarchas hereticorum vocavit. Nam, ut *Syracidæ* cap. 37. legimus, *qui sophisticè loquitur, odibilis est*. Et de *ψευδοδοξαφῆμασιν* eleganter *Nazianzenus*: *Intra terminos nostros, inquit, philosophemur, nec efferamur in Ægyptum, nec in peregrinum Assyriorum luxum dilabamur, neq; cantemus canticum Domini in terra aliena*. Nec tamen concessit, nullum esse usum philosophiæ in sacris, sed contrarium multorum terminorum commodâ explicatione ex artibus & philosophicis disciplinis ad oculos demonstravit. *Est* autem *laus non modica*, ut *August.* lib. 2. de doctrina Christiana, c. 40. scribit: *Spoliare Ægyptios vestibus, auro & argento, atq; ad ornatum tabernaculi Domini ea conferre, quibus illi ad luxum & fastum, nec non*

fana



fana falsorum Deorum fucanda indignè abusi sunt. Cumq; intelligeret *Meisnerus*, hanc operam suam Ecclesiæ Dei proficuum fuisse, non intermisit annis sequentibus eam continuare, & *secundam* quoq; ac *tertiam Philosophiæ Sobriæ partem* edere, in quibus Pontificiorum *ερεβλας* potissimum detexit, sicut in *prima* Calvinianos perstrinxerat errores. Jamq; passim celebris erat, & in admiratione omnium ob peculiaris dona docendi, quorum specimina dederat egregia in Cathedra tam Ecclesiastica, quam Academica. Ideoq; fautores & amici ipsum sublimiori functioni votis suis destinabant, & Theologi quoq; ejus loci faciles promptosq; se præbebant, ut *Licentiam*, quam vocant, in *Theologia* prensanti, lubentissimè conferrent. Sed & paulò post, die videlicet 21. Jan. anno Christi 1612. solenni renunciatione *Doctoris insignia* ipsi contulerunt, Promotore *D. Johanne Förstero*, Theologo & Philologo præcellentissimo. Aderant huic panegyri, Serenissimi Electoris Saxonix ac Domini, Domini JOHANNIS GEORGII, &c. nec non Serenissimæ Dominiæ Matris, Dominiæ SOPHIÆ, legati nobilitate & amplitudine eminentissimi: aderant Viri honoratissimi ab incluta *Republica Dresdensi* missi: qui omnes *Meisneri* nostri honoribus applaudebant, & singulare decus suâ præsentia condecorabant. Inprimis verò illum afficiebat conspectus venerandi Parentis, quem eò usq; à Deo gaudebat sibi servatum esse, ut spectatorem suorum honorum habere posset. Eodem die hanc solennitatem excepit novum gau-

Doctoratus.

Conjugi-
um.Professio
Theologica.Ephoria Sti-
pendiatorū.Scripta D.
Meisneri.

dium, ut *Doctoris* simul & *mariti* titulum adipiscere-
tur. Nuptias enim mox celebravit cum Virgine
lectissima *Magdalena*, à Viro, quondam Magnifico &
Amplissimo Dn. *D. Ludovico Personio*, in Academia
Witebergensi Juris Antecessore celeberrimo, & post-
eà Consiliario Electorali splendidissimo progenita.
Constituto sic in *Doctoris* gradum, non ita post aliæ
dignitates obtigerunt. Nam elapso anno, cum Vir
Excellentissimus *D. Försterus* ad generalem Ecclesia-
rum in *Ducatu Mansfeldico* Ephoriam vocaretur, Sere-
nissimus Elector *Meisnero*, ab Universitate ejus loci
subjectissimè commendato, & Professionem Theo-
logicam, & Inspectionem Alumnorum Electoralium
clementissimè demandavit. Commendati sunt
prætereà ipsi & externi juvenes, qui sumtibus publi-
cis, Testamento viri spectatissimi *Andree Behami*, olim
civis Augustani, ad hunc usum deputatis, in Acade-
mia illa sustentabantur. In quibus functionibus o-
mnibus quid præstiterit, quantumq; de Bono publi-
co meruerit, notius est vobis omnibus, quàm ut ego
possim edisserere. Dispersuntur Theologiæ no-
stræ latifundia in tres amplissimas partes, quarum una
est Theologia *Didactica*, ejusq; pars *Elenctica*: altera
verò *Exegetica*, & tertia deniq; *Practica*. Illa facili
methodo capita doctrinæ Christianæ comprehendit,
& antithesin ob oculos ponit, rationemq; confutan-
di erroneas opiniones. Ista Scripturam sacram ex-
plicat, quæq; ad doctrinam, consolationem, admo-
nitionem, exhortationem & elenchum faciant, velut

exerto

exerto digito demonstrat. Hæc deniq; in deciden-
dis casibus conscientiæ occupata & peritiâ Ecclesiasti-
cæ disciplinæ ac gubernationis laudem meretur.
Omnes hos veluti fundos Theologiæ *Meisnerus* noster
diligentiâ indefessâ excoluit. Cumq; in Theologia
Didactica iterum certa sint spatia: ideò distinctis ea
quasi areolis distribuit. Nam *principium Theologiæ* est
Scriptura sacra; cujus perfectionem *Meisnerus* dispu-
tatione singulari defendit, ejusque autoritatem in
plurimis contra Pontificios scriptis conspicuam red-
didit. Generatim verò *naturam Theologiæ* declara-
vit in *præcognitis Theologiæ*, certarum disputationum
serie digestis. *Subiectum Theologiæ* circumscribit mi-
seria hominis, quam ille integra decade disputa-
tionum prolixarum persecutus est, & *primam par-*
tem αἰθρωπολογίας nominavit. Eodem pertinet *di-*
sputatio ejus de causis peccatorum. Quæ verò ad *finem*
hujus disciplinæ spectant, copiosè tractavit, cum ex
professo theses proposuit aliquoties, tum de *fidei justi-*
ficantis appellationibus & partibus: tum de forma, tum fi-
ne, tum de attributis: eamq; generalem doctrinam à
Jobo ad hypothesein transferri ostendit, habita de fide
Jobi συζητήσθ. Deniq; *mediorum fini Theologiæ destina-*
torum & causarum salutis considerationem nervosiss-
simè explicavit, in secunda & tertia decade αἰθρωπολο-
γίας, inq; variis disputationibus de unione personali: de
æterno Patris æterni λόγῳ: de Deo manifestato in carne:
de communicatione donorum infinitorum; quas separa-
tim edidit: conjunctim autem iterum de persona

Christi

Christi, & de Sacramentis doctrinam integris libris uberrimè aperuit. Postea in systemate Theologiæ Didacticæ sequitur *locus de Ecclesia*, quæ nihil aliud est, quàm cœtus & communio hominum, quibus talia salutis media offeruntur & exhibentur; qua ipsa in parte etiam maximo cum studiorum fructu desudavit. Id quod ostendunt scripta, quibus omnis generis hæreses & hostes Ecclesiæ aggressus est. Nota vobis est *Consultatio Catholica de fide Lutherana capeffenda*, Leonardo Lessio Jesuitæ Lovaniensi opposita: quam vindicavit alio tractatu, quo respondit ad censuram Michaëlis Vörösmarti, Plebani Selliensis Ungarici, qui hyperaspisten Lessii agere voluit. Destruxit & *muros Babylonis Romana*, quos exædificaverat *D. Jacobus Reibingius* Patricius Augustanus, tum adhuc stans à Pontificiis partibus; Palatinæ Neoburgicæ aulae Sacellanus, postea per Dei gratiam noster factus: & jam in Academia Tubingensi Professor nominatissimus. Similiter & excubias, quas idem *Reibingius* vindictiarum gratiâ statuerat, fortiter prostravit. Agnoscit hoc æterna sua cum laude ipse *D. Reibingius* in bipartita sui antehac falsò ita dicti, Catholici Enchiridii Retractione, quæ non ita pridem in lucem prodiit. Nam in præfatione hujus operis nominatim, præter Reverendis. & Magnificum Dn. *D. Hoë ab Hoënegg*, Sereniss. Dn. Electoris Saxonæ à concionibus primariis, & consiliis Ecclesiasticis, (cujus manuali Evangelico deinceps per totum codicem, singulis paginis ex professo veritatis cœlestis testimonium præbet) etiam

D. Meisne-

D. Meisnerum allegat, & utriusq; scriptis, contra suos olim errores editis, lubens meritoq; herbam porrigit. Autor etiam est noster Meisnerus *admonitionis fidelis de Papistica Religione fugienda*, quæ nomine Reverendi Collegii Theologici Witebergensis prodiit: & non ita pridem triumphum egit de Monacho quodam in Silesia, qui se nominat *Patrem fratrem Johannem Paulum de Czarnkomu, SS. Theologia Lectorem, Cœnobii S.S. Apostolorum Petri & Pauli Majoris Glogovia sacri ordinis Fratrum Predicatorum Priorem*. Hic enim adversus istam aquilam velut infelix milvulus insurgere ausus est, & clamare contra dictam admonitionem verbis tam inconditis, ut Priscianus ferè centies ab ipso vapulans jure querulari, nedum veritas ipsi propitia esse possit. Insuper & *dicam* scripsit *Pontificiis tum de impietatis, tum de equivocationum, tum deniq; calumnie crimine*: ut jam taceam disputationes separatim concinnatas de *nomine Ecclesie Catholice: de regimine Ecclesiastico, &c.* Maximè verò dexteritatem & doctrinam suam probavit in *duobus opusculis*, ut vocat: quorum unum est *de indulgentiis*, alterum *de purgatorio*. Et jam sub manu habebat, pæneq; ad umbilicum perduxerat *tertium opusculum de satisfactione Pontificiorum ex congruo*. Porrò est & aliud agmen hostium nostræ religionis, quod ex pharetra humanæ rationis potissimum jacula sua depromit. Ideò cum illis quoq; confligit, proposita generali disputatione *de Calvinismo fugiendo*: quæq; alia ipsorum placita perturbare Ecclesiam solent *de predestinatione, de persona Christi, de Sacramentis,*

ea omnia in Collegiis disputationum antea memoratarum, & nominatim in *duabus*, ut vocat, *Probis*, seu gemino lapide Lydio Calvinianæ religionis accuratè examinavit. Tandem etiam in arenam cum *Photinianis*, quos extremum Satanæ foetum rectissimè dixeris, congressus est in libro, quem inscribit *Considerationem Theologiae Photiniana*: ubi sic prostravit adversarios, ut in hunc usq; diem non valuerint se illi opponere. Recordor postremò non sine gemitu, ingeniosissimi operis, quod moliebatur in *totius Theologiae integro systemate* constituendo, quod hactenus in publicis prælectionibus ad dimidiam fermè partem perduxerat, sed morte præventus, imperfectum reliquit. Tantùm valuit noster *Meisnerus in dogmatica seu didactica Theologia*. Videamus verò & quid in *Exegetica* præstiterit? Magnam hinc accuratorem, singularem perspicuitatem, facilem dispositionem & spiritum alacrem deprehendere licet. Documento est *Commentarius in Oseam* anno abhinc 7. editus: idem loquitur ejus *Schola Babylonica*: testantur egregia meditationes in *Evangelia* singulis Dominicis, tum etiam anniversariis festis Ecclesiæ Dei prælegi solita: probant *conciones* in Psalmum 1.2.19. & de suspirio Davidis pro cordis mundicie, ex Psalmo 51: itemq; aliæ septem Berolini coràm Electorissa Brandenburgica, nec non festis solennibus habitæ. Ut jam taceam complusculas *conciones funebres*, itemq; *orationes* de arca Noachi: de vita D. Hütterri: de Jure Canonico: de Cherubinibus. Deniq; *Practica Theologia* simul & *Didactica* habitum coràm

toto

toto orbe Christiano demonstravit in antea dicta celebri illa *Consultatione de fide Lutherana capessenda*, Lefio Jesuitæ opposita, itemq; in *admonitione de religione Papistica fugienda*; sicut & ad ea, quæ M. Georgius Dedekennus, *Ecclesiastes Hamburgensis* in tribus Tomis *Consiliorum Witebergensi Academia* accepta refert, ἐπιβάλλον suum μερῶς egregiè contulit. Sed quid ego diutiùs his immoror, cum Bibliothecæ vestræ & publicæ tabernæ librorum abundè fidem faciant. Prætereo documenta Theologicæ prudentiæ longè plura, quæ post se reliquit in expediendis ad varias *questiones*, ad Collegium Theologicum delatas, *responsis*, dum septies *Decanatum* illius Facultatis administravit: in *consiliis Ecclesiasticis* & discutiendis *causis matrimonialibus*, quibus per biennium, & quod excurrit, tanquam *Confessor Consistorii Ecclesiastici* adfuit: in *Rectoratus* scita administratione, & deniq; in *Scholarum Illustrium* *visitatione*, ad quam antè annum Electorali autoritate fuit adhibitus. Et verbo tantùm mentionem in jicio *sanctissimi instituti*, quo animus ferebat, *defectus* in omnibus tribus hierarchiis exaggerare, iisq; medendi rationem certam exhibere.

Porrò has tantas dotes æquabat morum vitæq; honestas & sanctimonia, quæ non minus atq; scientia in Theologo requiritur. *Multi*, ait Bernhardus lib. de *Consc. querunt scientiam: pauci conscientiam*. Ideoq; 2. de *Consideratione ad Eugenium*, propositum hujusmodi censens incongruum, *Monstruosa*, inquit, *res est, gradus summus, & animus infimus: sedes prima, & vita*

Mores D.
Meisneri.

ima: lingua magniloqua, & manus otiosa: sermo multus,
& fructus nullus: vultus gravis, & actus levis: ingens au-
toritas, & nutans stabilitas: facies rugosa, & lingua nugosa.
 Hac de causa in id totus incubuit Meisnerus, ut vita
 doctrinæ responderet: verissimum esse iudicans,
 quod Prosper scribit: *Bene docere & male vivere, quid*
aliud est, quam se sua voce damnare? Id quod in vitis
 Patrum lib. 5. cap. 10. Abbas pastor similitudine pul-
 chrâ illustrat: *Si quis, inquit, docet aliquid, & non facit*
quod docet, similis est puteo, qui omnes ad se venientes sa-
tiat, & sordes delet, seipsum autem purgare non potest, sed
omnis spurcitia & immunditia est in eo; nisi scilicet aqui-
legum cura rationem ejus habeat. Luxit in eo pie-
 tas singularis, quam testatam fecit tot *piis meditationi-*
bus, quas in privatum sibi usum concinnavit: integro
 libello *conceptis formulis* de præparatione ad solennia
 festa, ad confessionem peccatorum & usum sacrae
 cœnæ: nec non gratiarum actiones pro conjugē, so-
 bole, re familiari lautâ, honoribus, aliisq; beneficiis
 divinitus concessis. Præstabat insuper insigni, quam-
 que sibi quasi congenerem fecerat, humanitate erga
 universos: omnibus blandus: erga pauperes miseri-
 cors: afflictis promptus: cujus virtutis monumentum
 sibi statuebat in dicto Christi: *Beati Mites;* quæ duæ
 voces literis initialibus B. M. nomen ejus referebant,
 ideoq; *Symboli* loco ipsi erant. Divitiis insuper cum
 afflueret honestè partis, non tamen aut cor apposuit
 & sese extulit, sed æquabilem semper modestiæ teno-
 rem in gestu habituq; observavit, paratus etiam iis
 carere

carere, si ita Deo suo videretur. Quo de proposito ejus pientissimo lubet adducere propria illius verba, quæ ante triennium inseruit literis consolatoriis, ad me triennio abhinc obitu carissimæ conjugis in tristitiam conjectum, mellitissimè scriptis: *Ego sanè ita per Dei gratiam meum nunc obfirmavi animum, ut pro Christo omnia contemnam & nihili faciam. Si bona affluunt, cor non appono, quia in Christo meliora bona possideo. Si jacturam facio, & mala eveniunt, pro malis non habeo, quia Christum consolantem & premia promittentem in corde meo audio.* Postremò tandem nescio, an primo loco numerare debeam *humilitatem* ejus summam, quâ omnia sua divinæ gloriæ & proximi salutis destinabat, memor illius Paulini, 1. Cor. 8. *Caritas & edificat.* Est enim, ut Augustinus docet in sentent. n. 241. *humilium virtus, scientiâ non gloriari, quia communis est omnibus, sicut lucis; ita & veritatis participatio.* Sæpè aliàs scientiæ struma adnascitur superbiæ. Unde ibidem Apostolus, *Scientia*, inquit, *φυσιοῦ*, instar follis vento distenti, tumet turgetque. Hinc inducit proximorum neglectum & vilipendium; tantùm abest, ut sollicitudinem pro ejus commodis admittat. Appositè Bernardus ferm. 36. in Cantica: *Sicut cibus indigestus malos generat humores, & corpus non nutrit, sed corrumpit: ita & multa scientia ingesta stomacho anima, qui est memoria, si igne Christi decocta non fuerit, & sic per quosdam artus anima, mores scilicet atq; actus transfusa atq; digesta, nonnè reputabitur in peccatum, tanquam cibus conversus in pravos noxiosq; humores?* Atque sic satis, opinor,

cognovistis Auditores, qualis in tota vita sua *Meisnerus*, quantusq; doctrinâ & meritis fuerit.

Mors,

Venimus tandem ad *ultimam lineam*, quâ curriculum vitæ illius divinitus fuit definitum. Sub finem enim anni superioris febris ardente laborare cœpit, quæ paroxysmis aliquot vires ipsius valdè fregit: & tandem superventu symptomatum plurium, Cephalalgia, Cardialgia, insomniæ pertinacis, nausæ ciborum & deliquiorum animi exasperata, medicam opem universam frustrata est. Exinde placidè in Christo Salvatore suo obdormivit circiter noctem concubiam, quæ diem 30. Decembris antecedebat. Atq; ita cum veteri anno omne tempus & vitam clausit in ipso Rectoratu Academiae, quem tertiâ vice gerebat, cum nondum quadragesimum ætatis annum exegisset. Ita fuit *Meisnerus*, & non tam obiit, quàm abiit in cœlestem Universitatem. Luget hunc subitum casum in amaritudine animæ suæ tristissima vidua: orbitatem suam deplorant quatuor liberi, quibus accedet posthuma, cujus ortum Deus suo tempore benè vortat, soboles. Tot enim supersunt de numero denario, quo Dominus conjugio illius benedixerat: cæteris in æternam patriam præmissis. Magnum etiam sine dubio reliquit sui desiderium apud Magnates & amicos, quorum gratiâ & conjunctione floruit, non in his tantum & vicinis ditionibus; verum etiam in *Dania, Svecia, Hungaria, Transsylvania, Moravia, Silesia, Marchia, Pomerania, Saxonia inferiore, Hassia, Svevia, Alsatia, &c.* sicut literæ, quas ex his locis crebriores accepit,

accepit, abundè testantur. Non possum facere, quin hîc adjiciam, quæ mihi mortem D. Meisneri nunciant, rescripserit Vir Excellentissimus Dominus D. Johannes Schmidius, Theologus Argentinensis: *O tristissimas, inquit, literas vestras, quas nec sine doloris acerbissimo morsu legere, nec sine summo animi mœrore repetere memoria aut exponere aliis possum!* Quis enim non intimis sensibus doleret objecturam incomparabilis viri, quem Christiani orbis amorem & delicias pii quivis vocarint: Viri, qui varietate donorum Ecclesiæ edificandæ necessariorum non ornatus tantum, sed cumulatus fuit, de quo omnes sperarunt Ecclesiæ, fore, ut si quando veterum more cum adversariis agendum esset, si sopienda disidia, si tollenda schismata, operam toti Reipub. Christiana utilissimam præstaret, omniumq; expectationi & voto satisfaceret. *Fama isthac infelix, ubi apud nostrates increbuit, nemo fuit in ordine Ecclesiastico, nemo inter Academia professores, nemo inter honoratiores & literatos cives, qui non maximâ affectus fuit tristitiâ.* Heri Consulem nostrum Dn. Starckium Virum doctissimum, & Academia præclarum fautorem, jam annum ætatis 73. agentem, & graviter decumbentem visitavi, qui ubi ex me nuncium audiret de Meisneri obitu, largissimas fudit lacrymas: hunc multi sequuntur, nec immeritò. *Quid enim sperandum est, imò quid non timendum est, si hæc columna Reipub. Christiana concutiantur?* Eadem vovæπαδεία vos quoque, Auditores honoratis. video distineri, & communem studiorum sortem miserari. Sed quia sic supremo vitæ nostræ

Arbitro placuit, ut in cœlum receptus *Meisæerus* rebus humanis eximeretur, quid tandem faciamus aliud, nisi ut in divinâ hâc voluntate nos acquiescamus. Quod si porrò quid beatis manibus honorificum perficere volumus, agite Deo dicamus gratias pro hoc salutari organo, & in scriptis ejus porrò eum contueamur. Ipsi quoq; maturè nos ad beatam dormitionem paremus, & exemplo ejus gloriam Dei & ædificationem Ecclesiæ unicum nostrorum studiorum scopum figamus. Omnibus enim hic sensus, hâc alacritas cordi esse debet, etiam si tanto modio dona non acceperint à Deo. Sensus hujus expressam imaginem, modum & verba ex *Origene* præibo, qui devotissimam hanc ad Salvatorem suum orationem dirigit, homil. 13. in Exodum: *Domine Jesu, presta mihi, ut aliquid monimenti habere queam in tabernaculo tuo: ego optarem, si fieri posset, esse aliquid meum in auro illo, ex quo propitiatorium fabricatur: vel ex quo arca contegitur; vel ex quo candelabrum fit luminis & lucerna: aut si aurum non habeo & argentum, saltem aliquid inveniar offerre, quod proficiat in columnas vel bases earum; aut certè vel eris aliquid habere queam in tabernaculo, unde circuli fiant, & cætera, quæ sermo divinus describit. Utinam mihi esset possibile, unum ex principibus esse & offerre gemmas ad ornamentum Pontificis humeralis atq; ropyis. Sed quia hæc supra me sunt, certè vel pilos caprarum habere merear in tabernaculo Dei: tantùm ne in omnibus jejunus & infæcundus inveniar.* Hæc *Origenes*. Is itaq; mo-

du

dus est consecrandi, hæc meta servandi memoriam
benè meritorum.

At Tibi, *Beate Meisnere*, gratulamur militiæ bonæ
consummationem, gratulamur coronam gloriæ, qua
nunc redimitus in cœlo fulges; gratulamur famam
posthumam, quam tuis studiis tibi comparasti. Nunc
vale & salve *Theologia sidus: hæresium repagulum, doctri-
nae promptuarium, flos charitum: theatrum variarum vir-
tutum; ornamentum seculi: gaudium patriæ: ocellus Misniæ:
studiorum communium desiderium*: vive, inquam, &
hoc à me officium supremum in conjunctissimæ ami-
citæ tesseram accipe. Nos, quo Deus quemq;
ex hac vitâ evocaverit ordine, te se-
quemur universi.





EPICEDIA

In beatum

D. BALTHASARIS

MEISNERI obitum,

Lipsiæ scripta.



*Asia Menzerum, Meisnerum Misnia plorat,
Quæq; habet huic sociam Saxonis ora Scho-
lam.*

*CHRISTE quid ex istis nos vis sperare ruinis?
Spes dubia est; genti parcito quæso tua.*

Vincentius Schmuck D.
Superintendens.

ERgò cadis medios inter, MEISNERE, calores,
Hinc tibi quos febris subdit, & inde Papa?
Scilicet egregii censetur militis esse
Mortem in bellicrepis nisibus oppetere.
Ipsa quidem idcirco meretrix Babylonia gaudet:
Fors tamen in solo nomine terror erit.
Interea lacrumis Ecclesia plangit abortis
Tanti præsidio nunc viduata viri.

Tu ve-

Tu verò, frater quondam dilecte, quiescas,
Donec læta sonet vox: bone serve veni!

*Amoris & doloris contestandi
ergò f.*

Polycarpus Lyserus D.
& SS. Theol. Prof.

I.

Aldiit ut primùm MEISNERI fata, necemq;
Ipsius, cœpit credere Religio:
Turbata, & subito mentem externata dolore,
Hæc singultatis verba dedit lacrymis:
Quæ modò firma sui tot defensoribus aucta,
Heu sensim, tantis orba, labasco, viris.
Qualis MENTZERUS, WINCKELMANNUSq; fuerunt,
Qui me præclaris asseruere modis.
Qualis MEISNERUS, mea spes, mea fama; sed illos
Abstulit à nostro mors malè sana sinu.
Non tamen his decus omne sua sicelice revulsit,
In scriptis vivax gloria durat adhuc.
Ingenii monumen superest, & vindice vero
In quosvis Zelus fulminat hæreticos.
Esto, quod illorum me non defendere possim,
Voce, tamen scriptis salva manebo libris.

II.

In Tumulum B. MEISNERI.

MEISNERUS jacet hic: si nescis cætera, Lector;
Nescis quid Pietas sit Charis atq; Fides.

Claruit

E P I C E D I A.

Claruit his etenim donis : nunc ergo latentem
Virtutum cumulum scito sub hoc tumulo.

Memoriae Viri meritissimi, amici & in
Christo fratris conjunctis.

Lubens sed Lugens

F.

106022

Heinricus Höpffnerus D.
& Prof. pub.

Vita quid est aliud, tenuis quam pulvis & umbra;
Utq; nihil vitus est, sic quoque vita nihil.
Felix cui vita est Christus, qui janua vitæ est,
Perdere quam scævâ trux ficelice nequit.
Hunc vitæ fontem monstrant sitientibus illi,
Qui gaudent Christi pascere voce gregem.
Quos si Christus amat lætum conscendere Olympum
Mundo devicto tempore quemque suo;
Quis non gratetur merito Victoribus istis?
Quis non his statuat læta trophæa lubens!
Hic labor, hic dolor est, rodentes pectora curæ:
Illic grata quies, gaudia mille vigent.
Hanc fidei metam est MEISNERUS nuper adeptus,
Cum Christo æternum vivit ovæque suo.
Cum veteri claudens anno labentia fata,
Angelicos vivit nunc sine fine dies,
Stella erat Eusebiæ cultores inter amœna,
Leucoridisque decus, gloria & Aonidum:
Nunc MEISNERUS ovat cœli præfulgida stella:
Nunc pro mortiferis cœlica sceptrâ gerit.

L. Johannes Höpnerus Prof.
ad D. Thom. Archidiac.

F I N I S.

WBA



QW. 259, 14.

D. B.
RIS

in illustri



In freque

HEINR
SS. T



Impensis
Exc

V. 260.



Z c
6022

2054674

SA-
RI

nsi Pro-

ratiss.

ERO
o.



Götzii.

20
17.429

